

4 / 89

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 12

FASC. 78

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Certe - et iure! - mirati et indignati sitis, quod huius
anni fasciculus tertius RUMORIS VARIII, qui Idibus Iuniis
apparere debuit, non prius quam Septembri mense incipiente
manibus tenetis. Me quoque eius facti maxime piget pudet-
que. Causam huius retardationis vobis breviter exponam -
quasi ad rem explicandam, non ad excusandam, quia excusari
paene non potest -; benigno animo audiatis: Nostra consocia
Christina Portner, quae impressum et dispositionem (Layout)
fasciculorum RUMORIS VARIII curat, hac aestate domicilium
mutavit. Quanta negotia agenda et quanti labores suscipien-
di sunt in domicilio mutando vos omnes scitis, si umquam
idem fecistis. Et postea novum domicilium est instruend-
um et ordinandum. Talibus negotiis Christina occupata
fuit adeo, ut editionem tertii fasciculi antea curare non
posset. Spero Christinam annis - vel melius saeculis -
proximis non iam domicilium mutaturam esse....

Spero illum fasciculum tamen vobis magnum gaudium allaturum
legentibus. Simul venia mihi est petenda, quod - necessarie
- hic quoque fasciculus quartus cum retardatione editus
est. Spero usque ad finem anni modum apparendi iterum
normalem fore. Scilicet mihi conscius sum magnae levitatis
animi et temeritatis esse sperare RUMOREM VARIUM umquam in
tempore editum iri: Experientia contrarium docet. Forsitan
aliquando hoc miraculum tamen accidat! Videbimus. Utique
operam damus et dabimus!

Propter hanc fatalem retardationem solutiones aenigmatis,
quod in tertio fasciculo invenistis, usque ad **Kalendas
Octobres** nobis mittere poteritis. Utinam his quoque condi-
tionibus multi vestrum nobis solutiones mittant!

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

Marcus et Paula et vocabularium Latinum

Marcus, discipulus tredecim annos natus, fere desperatus domum petit. Quem mater interrogat (Nam filiorum maestitia sollicitudine nullam matrem fallit): "Quid tibi est, mi Marce?"

Cui Marcus, supercilio iracunde constricto: "Iste Germanicae Latinaeque linguae magister vere tyrannus est tam praepotens quam Gessler olim fuit!" At mater tenere subridens: "At tu non es Vilhelmus Tell! Dic vero materculae tuae quid tibi male egerit!"

"Ubi narratiunculam Germanicam (qua amicum nostrum optimum describere nos iusserat) mihi emendatam reddidit, me severe reprehendit: "Marce", inquit, "ne patriam linguam nostram quidem scis, sed barbare ea uteris: Vocabulorum nostrorum significationes ignoras. Manifestum est te nec vocabularium neque encyclopediam unquam evolvere! Sin autem sic perges, vae tibi!" Et voce gestuque simul mihi minabatur!"

Tum mater: "Vocabularium Germanicum e familiari bibliotheca statim promisi, tibi dedi; quod in pulpito sub manu habes. Nonne...?"

At Marcus matrem interpellat: "Hoc ipsum est! Propterea dico et confirmo istum magistrum vel tyrannum vel insipientem esse virum, nisi et tyrannum et insipientem simul!"

Quem mater voce tenera reprehendens: "O Marce, noli indocilis irreverensque esse! Num ad hoc te educavi?"

At Marcus: "Immo docilis fui; et quia docilis fueram a magistro reprehensus sum! Rem audi!"

"Audio."

"Textus Latinus a nescio quo Tito Livio scriptus (utinam ad malam crucem eat!) mihi Germanice convertendus erat: Cum ergo docilis essem atque vocabulorum Latinorum significationes etiam multo magis ignorarem quam Germanicorum, vocabulario statim uti volui. Singula vocabula, ut in textu ea inveniebam, ibi quaesii, synonyma Germanica ibi proposita rescripsi... atque iste (quem non vis me insanum dicere etsi est!) me modo accusavit, quod stultissime laboravissem et pessime convertissem; atque hoc, matercula, hoc nefandissimum audi: Me reprehendit, quod vocabulario nimis uterer; immo ad proximam interpretationem, quam in gymnasio

cras faciemus, nos vocabularia adferre vetuit! Quid tibi vult? Cur contraria iubet? Nonne recte dixi eum delirare?" Mater, quae ipsa parum docta erat, sed filiolum sic fovere solebat ut ocellum suum, fere consensura ei erat; advenit interea Paula, soror Marci maior natu, cuius arbitrium rogatur. Haec magistrum sic defendit: "In vocabulariis encyclopediisque vernaculis nostris, vocabulorum Germanicorum definitiones legimus sententiis Germanicis explanatas et saepe imagines additae sunt, quibus res melius intellegimus. Et quia haec est lingua nostra patria, omnia facilia et naturalia sunt. Ut Latine quoque (vel alia lingua aliena quavis) recte intellegamus, paulatim assuefieri debemus Latine (vel illa quavis alia lingua) cogitare quasi sit lingua propria nostra; sed in vocabulariis vocabula Latina invenimus Germanice explanata (immo ne sententiis explanata quidem, sed solum verbis singulis conversa); cum praeterea imagines nullae vel paucae sint, saepe non recte intellegimus, quid sit: tu igitur vocabula alia aliis sic addidisti ut musivarius imperitus tessellas tessellis addit nec curat summam figuram, quae inde describitur!"

"Hoc ipsum magister dixit! Me miserum! Quidnam agam? Cras enim, si nullo vocabulario uti licebit, ego nihil convertere potero, quia nullum vocabulum Latinum memoria teneo!"

Postero die, Marcus gymnasium maeste petiit...sed hilari vultu erat, cum domum rediit: Mater et soror obviam accurrerunt: "Heus, Marce, quid de conversione?"

At Marcus: "Optime! Nam magister nobis attulerat vocabularium quoddam vere insolitum: Etenim simile est nostris vernaculis; nam vocabula citata brevibus simplicibusque sententiis Latine solum definita sunt et multis imaginibus illustrata: Exempli gratia primum vocabulum, quod ignorabam et ibi quaesii, erat "agger"; ad hoc apposita erat imago maxime perspicua, in qua designatum erat et "vallum" et "fossa" et "limes" et "turre". O gaudium! Haec ipsa vocabula quoque in textu interpretando erant. Quae statim recognovi et optime intellexi, quia oculis meis figuras videbam certissimas."

Interpellat mater: "Quid vero de istis Latinis definitionibus? Nonne difficiles intellectu?"

"Minime, quia simplicissime explanatum est: Verbi gratia "limes est semita transversa, tum in agris, tum in urbibus,

sed stricto sensu in agris". Nonne maxime perspicuum est?"
 Paula plane adnuit atque fratrem avide interrogat: "Qui
 titulus, quaeso, quive auctor illius mirabilis vocabularii
 est? Nam in studiorum Universitate eo uti equidem volo."
 "Orbis Pictus Latinus est titulus; auctor Hermannus Koller
 est Helvetius."

Genovefa et Antoninus Immé



**Macarelli contra tensionem arterialem
 auctam sive hypertoniam**

In instituto Centrali pro Investigatione Morborum Cordis
 atque Circulationis Sanguinis Berolini in urbe orientali
 diaetam diurnam cum macarellis contra tensionem arteria-
 lem auctam seu hypertoniam medici examinauerunt. Patienti-
 bus ex hypertonia laborantibus per menses octo ter singulis
 hebdomadibus pyxidem fileti macarellorum in liquamine lyco-
 persicorum (seu tomatorum) praebuerunt medici instituti
 centralis. Tensio autem sanguinis ante experimentum illud
 significanter aucta postea delapsa est ad valores rectos
 sive "normales".

macarellus, -i m.	Makrele
diaeta diurna	Langzeitdiät
pyxis, -idis f	Dose
filetum macarellorum	Makrelenfilet
liquamen, -inis n	Sauce
Institutum Centrale pro Investigatione Morborum Cordis et Circulationis Sanguinis	Zentralinstitut zur Erfor- schung der Herz- und Kreis- laufkrankheiten

AMICUS

De ortu verbi miri singularisque "soldurii"

Sodales, socienni, soldurii!

In dies magis magisque sodales de verbi quasi incogniti -
 ut putant - "soldurii" memet de verborum ortu semper na-
 viter acriterque cogitantem vehementer consuluerunt porro-
 que consulunt.

Sed re vera verbum illud quidem - concedo - mirum nequaquam
 est absolute ignotum, quamquam incognitum plurimis videtur.
 Inveniri autem potest verbum illud rarum, singulare et
 solum semel usitatum (semel dictum vel hapax legomenon)
 apud Gaium Iulium Caesarem in Commentariis eius belli Gal-
 lici, in libro III°, capitulo XXII°:

"Atque in ea re omnium nostrorum intentis animis alia ex
 parte oppidi Adiatuanus, qui summam imperii tenebat, cum DC
 devotis, quos illi **soldurios** appellant, quorum haec est
 condicio, uti omnibus in vita commodis una cum iis fruuntur,
 quorum se amicitiae dederint, si quid his per vim
 accidat, aut eundem casum una ferant aut sibi mortem con-
 sciscant; neque adhuc hominum memoria repertus est quis-
 quam, qui eo interfecto, cuius se amicitiae devovisset,
 mortem recusaret."

Verbum autem illud nimirum insolitum originem ducit - ut
 mea fert opinio - admodum probabiliter ex aliqua lingua
 Celtica aut Celtiberica, siet e lingua Cambrica, siet ex
 alia lingua Celtica. Atque quo valet hoc responsum meum?
 Hoc eo spectat, quantum opinione auguror, quantum coniectu-
 ra adsequor, quantum coniectare licet, ut exemplo comprobem
 id, de quo ante concludere conieci. Haec autem hactenus de
 praefatione, nunc ad rem ipsam veniamus.

Cambrice: sold (sald) = pugna, proelium
 uyr = vir, homo, socius
 solduyr = pugnae (proelii) vir, pugnae socius

Apud Romanos tales pugnae socii vocati sunt **devoti** seu
dilecti, apud Graecos "eucholimaioi". Tales pugnae socienni
 totum vitae cursum usque ad mortem ipsam honeste, integre,
 caste egerunt, ut consuetudinis erat apud eos. Fuerunt re
 ipsa - ut ita dicam - viri iureiurando colligati vere
 foederati.

Haec habui, quae de ortu atque de significatione accurata ac propria verbi "soldurii" atque de officiis solduriorum vobis, o sodales, dicerem describeremque.

AMICUS



De hymno nationali sive patrio Helvetio pristino atque de eius auctore

Hymnus autem nationalis sive patrius Helvetius pristinus anno MDCCCXI° compositus est ab auctore Rudolpho Wyss (Albo seu Candido), die Lunae IV° mensis Martii anno MDCCCLXXXII° Bernae in urbe Helvetiae nato, die autem Solis XXI° mensis Martii anno MDCCCXXX° Bernae in urbe diem extremum obito, filio Iohannis Davidis Wyssi.

Iohannes autem Rudolphus Wyssus ab anno MDCCCV° officio praefuit professoris philosophiae philologiaeque in Academia Bernensi. Anno autem MDCCCXI° hymnum nationalem sive patrium Helvetium pristinum composuit "Vocas, o patria" (Theodisce: Rufst du, mein Vaterland) secundum modulum hymni nationalis Britannici ab auctore Henry Careyi (1687-1743) iam prius anno MDCCXL° compositi.

Iohannes Rudolphus Wyssus postea fuit bibliothecae municipalis Bernensis custos seu praefectus, collector fabularum Helveticarum apologorumque (seu paramythorum) Helveticorum (Sammler schweizerischer Sagen und Märchen) atque editor calendarii seu almanachi cui titulus "Rosae alpinae" (Alpenrosen). Supplevit etiam et in vulgus edidit manuscriptum patris Iohannis Davidis Wyssi, pastoris monasterii Bernensis, cui titulus "Robinsonus Helvetius" (quattuor volumina, ab anno MDCCCXII° usque ad annum MDCCCXXVII^m), usque adhuc hodiernis nostris diebus ab adolescentibus lubenter lectum. Conticuit interea hymnus pristinus, in summum locum hymnis nationali Helvetii successit "Psalmus Helveticus" qui dicitur, sed memoriam auctoris primi hymni nationalis Iohannis Rudolphi Wyssi nulla umquam oblivio delebit apud viros vere Helvetios.

AMICUS

Hymnus nationalis sive patrius Helvetius pristinus

Textus originalis Theodiscus : Iohannes Rudolphus Wyss (1782 - 1830)
Versio Latina : AMICUS (anno 1918° natus)
Modulus : Henricus Carey (1687 - 1743)

Rufts du, mein Vaterland? Sieh uns mit Herz und Hand, All dir geweiht: Heil dir, Helvetia! Hast noch der Söhne ja, Wie sie Sankt Jakob sah, Freudvoll zum Streit.	Vocas, o patria? Vide audentia Devotos tibi nos. Macte, Helvetia! Habes et filios, Ut Sancti Iacobi Fanum vidit eos, Ad pugnam laetos sicut mos (erat).
---	---

Da, wo der Alpenkreis Nicht dich zu schützen weiss, Wall dir von Gott! Stehn wir den Felsen gleich, Nie vor Gefahren bleich, Froh noch im Todesstreich, Schmerz uns ein Spott:	Ubi iugum Alpium Tueri te potest noniamdum, A Deo tibi vallum datum! Instar stamus rupium, Contemnentes periculum, Laeti ictu mortis etiamnum, Dolor nobis ludibrium:
--	---

Frei und auf ewig frei! Sei unser Feldgeschrei, Hall unser Herz: Frei lebt, wer sterben kann, Frei, wer die Heldenbahn Steigt wie ein Tell hinan, Nie hinterwärts!	Semper libentius Clamor sonet bellicus, Resonet cor: Libere vivit, qui mori scit, Fortiter viam ascendit, Numquam retrorsum it Telli memor!
--	---

Doch wo der Friede lacht Nach der empörten Schlacht Drangvollem Spiel, O da, viel schöner, traun, Fern von der Waffen Graun, Heimat, dein Glück zu baun, Winkt uns das Ziel!	Sed ubi ridet pax, Ardet salutis fax, Tacebit mors, Melius profecto tum, Procul ab horrore tumultum, Patria, statuere tibi gloriae aedifi- Nobis adnuit sors!
--	---



Graecorum philosophorum sententiae

Cum Agathocles peripateticus philosophus se solum et primum magistrum dialecticae esse diceret, Demonax: "Si primus es", inquit, "non es solus; sin solus, non es primus."

Ab aliquo rogatus, quomodo posset omnibus vitiis vacuus disserere et loqui, Socrates respondit: "Si nihil dicis nisi ea, quae clarissime novisti."

Thales, cum ab aliquo interrogaretur, num iuraret se non adulteravisse, suasit, ne iuraret, dicens: "Nonne periurium adulterio peius?"

Hominem, quem alii metuunt, necessarie ipsum metu non vacuum esse Epicurus dixisse fertur.

Aliquo interrogante, quid esset dulcissimum in vita, Socrates respondisse fertur: "Eruditio, virtus investigatioque rerum ignotarum."

Rogatus, quid in caelo ageretur, Diogenes respondit: "Numquam ascendi."

Iniurias committentem aliquem latere difficile esse Epicurus dixit; nullo modo autem fieri posse, ut certo sciat se semper latitatum esse.

Neque equum sine frenis neque divitias sine sana mente coerceri posse dixit Pythagoras.

Aures et oculos hominum amentium malos testes esse Heraclitus dixisse fertur.

Ab aliquo interrogatus, num quis quid agens deum lateret, Thales respondisse dicitur: "Ne cogitans quidem."

Letiferae potioni mellitae similes esse formosas meretrices Aristoteles dixisse fertur.

Homines, qui corpora curantes animam neglegunt, similes esse sordidis puris vestibus indutis dixit Zenon.

Aliquando duo homines philosophos se putantes stulte disputabant: Alter res ineptas interrogabat, alter res non aptas respondebat. Quos cum videret Demonax: "Alter vestrum", ait, "hircum mulgere, alter cribrum subdere videtur."

Magnas portas urbis parvae videns Diogenes civibus: "Claudite portas", ait, "ne urbs egrediatur!"

Biantis sapientis patria Priena ab hostibus capta est, et ceteri incolae ita fugerunt, ut multa de suis rebus asportarent. Admonitus, ut idem faceret, Bias: "Id facio", ait, "nam omnia mea mecum porto."

Rogatus, quid sit difficile factu, Bias respondit: "Commutationem in peiora nobili et aequa mente ferre."

Aristippus: "Velut corpus nostrum nutriendo crescit, exercitatione autem corroboratur", ait, "ita anima studiis crescit, constantia autem melior fit."

Daniel Weissmann



Ballationis scaenicae dies festi

Oppidulum illud Sirmionis, Catulli poetae "ocellus", hodie quoque, praesertim mensibus aestivis, multas res oblectabiles praebet. Hac aestate tertium dies festi ballationis scaenicae Sirmione locum habent. Ballatrices ballatoresque, qui summa sequuntur, exhibitionibus eximiis spectantium animos sensusque delectant.

Equidem, mense Iulio, cuidam exhibitioni ballationis maxime pulchritudinis adfui. Conditores catervae illius, quae spectatorum animos in omnem partem ballando permovebat, sunt illa ballatrix nomine Liliana Cosi, origine Itala, et Marinel Stefanescu, ballator praeclarus, natione Rumanus. Scaena collocata erat, sub Iove sereno, medio in nemore. Exhibitio vesperi incohata est, duravit ad multam noctem. Locorum amoenitas, scaenae ornatus, motus ballatorum elegantissimi, modi musici suaviter ad aures accidentes sensus

spectantium audientiumque acriter commovebant.

In numero componistarum, quorum opera ballatione scaenica proponebantur, erant viri egregii velut Tschaikowski, Albéniz, Debussy. Saltationes gentis Rumanae propriae quoque omnium iudicio probabantur.

Inter exhibitiones, e quibus laetitiam singularem percepi, erat opus tituli "Flora e somno excitatur". Modi musici creati sunt a komponista Riccardo Drigo, exeunte saeculo decimo nono. Ballatio generis heroici est hymnus Florae deae consecratus. Primae partes profecto a Regina omnium anni temporum aguntur. Apparent quoque ballatores ballatricesque personas Solis, Veneris, Aestatis, Autumni, Terrae Umbrarum et Florum agentes.

Alia exhibitio eximia, quae omnes spectantes ad misericordiam inducebat, a ballatrice Liliana Cosi praebita est. Erat opus komponistae Saint-Saëns tituli "Cycni mors". Motus alarum trementes, qui cycni mortem praecedebant, omnibus numeris perfecti erant.

Barbara Maier



Facete lepideque dictum

I

Georgius Masetti, pastor (1) Italicus, cum aliquando praedicationis (2) finem fecisset, audientes, antequam ecclesiam reliquit, his vocibus reprehendit: "Non moleste fero, cari confratres Christiani, aliquem vestrum me praedicante (3) horologium (4) suum spectare. Sed horologium ad aures admovere examinandi causa, nonne substiterit, id modum tolerabilem excedit!"

II

Pastor (1) quidam psychiatrum consuluit. Exploratione medica (5) confecta medicus interrogavit: "Acciditne, ut dormiens loquaris, domine pastor?" Tum ille: "Nequaquam. Loquor tantum aliis dormientibus."

III

Pastor (1) novo vicario: "In hac communitate (6)", ait, "de qualibet re praedicare (3) tibi licet; sed ne praedicaveris umquam diutius quam quindecim minutas (7)!"

IV

Ludovico XV° rege Francogalliae mortuo abbas (8) de Sancta Genovefa (Abbé de Saint - Geneviève) ludibrio habebatur, quod omnes preces irritae fuerant. Tum abbas aequa mente: "Quid querimini? Nonne ille vita defunctus est?"

V

Cum rabbinus (9) et sacerdos catholicus consedissent ad cenandum, sacerdos rabbinus: "Quando tandem", ait, "tua tolerantia adeo augebitur, ut hoc assum suillum (10) optime sapiens gustes?" Tum rabbinus: "Illo die, quo uxorem duces, mi eminentia!"

VI

Sacerdos rabbinus (9): "Nocte proxima", ait, "somniavi me in paradysum Iudaeum venisse. Erat horribile: Quantum clamorem et tumultum! Quantam turbam confertam ubique! Et praeterea istum odorem malum!"

Tum rabbinus: "Quem casum fortuitum! Equidem nocte proxima somniavi me in paradiso Christiano versari. Quantam quietem! Ubique flores et prata, odorem mirabilem rosarum ac iasmini (11) - et longe lateque nullum hominem!"

VII

Pastor (1) iuvenis, qui vinum non spernebat, praedicationem (2) primam perfecerat et pastorem vici interrogavit, quomodo ei placuisset. Ille: "Fuit satis bona, tribus mendis exceptis: Primum Cain fratrem Abel non aqua demersit, sed occidit. Deinde Iesus non trans lacum Calterensem (12), sed trans lacum Genezareth migravit; postremo in fine te dicere "amen", non "prosit" oportebat."

Viator Helveticus Romae in area stativa (13) civitatis Vaticanae autoraedas (14) preciosas, plurimas generis (15) "Mercedes", miratus et caput concutiens uxori: "Incredibile", ait, "et in principio nihil habuerunt nisi asinum.."

IX

Sacerdos artis peritissimus cum moriturus ultimum oculos aperuit, episcopus crucifixum (16) eius ori admovit. Hoc spectans sacerdos deceptus: "Prima parte 18° saeculi confectum", ait, "opus mediocre." Et animam efflavit.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

1 pastor,-oris	Pfarrer/pasteur/parson/pastor
2 praedicatio,-onis	Predigt/sermon/sermon/sermón
3 praedicare	predigen/prêcher/to preach/predicar
4 horologium,-i	Uhr/montre/watch/reloj
5 exploratio medica	Untersuchung/examen/examination/ reconocimiento
6 communitas,-atis	Gemeinde/commune/parish/parroquia
7 minuta,-ae	Minute/minute/minute/minuto
8 abbas,-atis	Abt/abbé/abbot/abad
9 rabbinus,-i	Rabbiner/rabbin/rabbi/rabino
10 assum suillum,-i	Schweinebraten/porc rôti/roast pork/asado de cerdo
11 iasminum,-i	Jasmin/jasmin/jasmine/jazmín
12 lacus Calterensis	Kalterersee (regio celebris propter vinum, quod ibi colitur)
13 area stativa	Parkplatz/parc à voitures/parking/ aparcamiento
14 autoraeda,-ae	Auto/automobile/automobil/coche
15 genus,-eris	Marke/produit/make/marca
16 crucifixum,-i	Kruzifix/crucifix/crucifix/crucifi- fijo

KANDJNSKY, MUSICAE COLORES

Hic est titulus - Latine conversus - cuiusdam scripti, quod animo attento in diurno urbis Brixiae legi, mense Iulio.

Agitur de magno numero imaginum pictoris Wassily Kandinsky, quae, hac aestate, spectantium oculis proponuntur.

Eventus locum habet in pinacotheca appellata Schrin, Francoforti ad Moenum. Inter 163 imagines, 84 e collectionibus Russiae proveniunt, 79 e museis occidentalibus. Quibus imaginibus vita poetica illius artificis, qui est in numero historiae artis principum, perspici potest. Oportet enim te legere scriptorem, ut pictorem melius intellegas.

Pictor narrat se iam, aetate prima, oculos coloribus iis pastum esse, quos postea praecipue diligeret. Se invenisse colorem candidum in Russia, nigrum in naviculis Venetorum, cum tres annos natus cum parentibus iter per Italiam faceret.

Semper memor erat tholorum aureorum Moscaviae patriae. Colores omnes oculorum commendatione animo traditi ibique diligenter conservati sunt.

Vir ille, triginta annos natus, vivendi rationem omnino mutat. Opera pictoris Francogallici, nomine Monet, quae Moscoviae exhibentur, specie prima sensus juvenis acriter commovent. Praeterea animus eius melodramate "Lohengrin" Moscoviae audito capitur. Intellegit nunc artium synthesin. Recusat professoris munus quadam in universitate Estoniae (Estland). Proficiscitur Monachium et in Academiam recipitur. Mox in amicitia est cum nonnullis artificibus haud ignotis velut Klee, Arp, Schoenberg... Est inter fundatores "equitum caeruleorum" (1911). Opera eius aditum sibi comparant ad partes animae interiores.

Nascuntur imagines velut "Civitas vetus" (1902) aut "Improvisa" (1909). Initio belli, quinque annis post, Germaniam relinquit. Moscoviam revertitur. Pingit ibi imaginem illam, quae demonstrat Moscoviae animam, res externas in somnium mutatas (1916). Iterum relinquit Russiam septem annis post. Se confert iterum in Germaniam, quam iam appellat "patriam alteram". Professoris munere Wismariae fungitur. Semper progreditur in arte pingendi. Dies natalis eius sexagesimus Wismariae magno sumptu celebratur, sed Academia, ubi docet, clauditur. De proximo bello inferendo iam deliberatur.

Kandinsky se confert Lutetiam Parisiorum, ubi decem annos peragit, pictor celebratus imaginum praeclararum. Belli discrimina venam ingenii delere non possunt.

Pingit imagines velut "Flavus, ruber, caeruleus" aut "Caelum caeruleum". "In anima mea", ait Kandinsky, "fissula est. Cum fissulam tango, resonat aliquod vas pretiosissimum in terrae tenebris repertum." Pictori illi sane ingenii facultas data erat fissulam perspiciendi et musicae colores videndi.

(Secundum scriptum domini Attilio Mazza, quod in linguam Latinam transtuli).

Barbara Maier



De particulis minimis, quibus natura continetur

(Tractationis pars secunda et finalis)

Cum relatione incertitudinis Heisenbergiana et cum aequivalentia energiae et massae, quae ex theoria relativitatis Alberti Einstein nota est, nunc nova et insolita phaenomena coniuncta sunt. Relatio incertitudinis loci et impulsus videlicet etiam pro atomo valet. Si denuo inspicimus hydrogenium nostrum, animadvertimus impulsum electronii propter parvam distantiam inter nucleum et electronium omnino incertum esse. Hac de causa de veris cursibus electroniorum circum nucleum loqui non licet. Locum ergo, ubi electronium versatur, tantum cum quadam verisimilitate dicere possumus. Veram autem motionem electronii praedicere non valemus. Quid vero aequivalentia massae atque energiae significat? Ex illa aequivalentia sequitur, ut energia etiam in massam

commutari possit et vice versa massa in energiam. Licet ergo, si energia sufficit, particulas producere vel contra particulas in puram energiam commutare. Ut talis autem commutatio fieri possit, aliae quoque condiciones expleantur necesse est. Eae condiciones sunt quaedam leges conservatoriae. Leges conservatoriae quidem in physica particularum elementarium maximi sunt momenti. Legem energiae conservatae solum intra fines relationis incertitudinis valere iam audivistis. Exstant autem aliae leges conservatoriae, quae sine incertitudine semper valent velut lex impulsus rotationis conservati et lex carricationis electricae conservatae. Si igitur particulae producuntur vel exstinguuntur, hae leges semper observantur. In productione particularum particulae semper simul cum antiparticulis suis producuntur, quae habent accurate eandem massam et carricationem contrariam. Energia vero ad particulas producendas ex quantis luminis vel ex collisionibus inter particulas venire solet. Quanta luminis quoque habent rotationem propriam, quae est $h/2\pi$, quae in productione particularum conservari debet. Eodem modo omnis particula una cum antiparticula sua in quanta luminis converti potest. Antiparticulae vero pro omnibus particulis elementaribus exstant. Antiparticula electronii appellatur positronium, antiparticula protonii antiprotonium, antiparticula neutronii antineutronium et ita porro.

Antea quidem de relatione incertitudinis locutus sum, quae pro energia et tempore valet. Nunc illam relationem denuo in memoriam nobis revocemus oportet: $\Delta E \cdot \Delta t \geq h/2\pi$. Si nunc secundum theoriam relativitatis pro energia massam ponimus, id est $\Delta E = m \cdot c^2$, videmus pro massa eandem incertitudinem valere atque pro energia. Antea quidem dixi energiam in quodam intervallo temporis non esse accurate definitam. Haec relatio revera etiam in vacuo valet, ubi nulla particula est. Ergo quaedam energia ΔE etiam pro brevi tempore Δt quasi de nihilo gigni potest. Sin autem energia brevi de nihilo fieri potest, idem pro massa valet. Ergo paria particularum et antiparticularum per breve tempus de nihilo fieri possunt et statim rursus ad nihilum interimuntur. Tales particulae vocantur particulae virtuales, propterea quod in experimentis propter brevitatem temporis, per quod existunt, non directe videantur.

Postquam satis diu de relatione incertitudinis, de aequivalentia massae atque energiae deque productione particularum locutus sum, oportet nunc de actionibus mutuis inter diversas particulas nonnulla dicam. Iterum hydrogenium exemplum afferam. Nos quidem iam multa scimus de motu electronii circum protonium, nescimus autem, unde revera attractio inter protonium et electronium oriatur. Hac in re de recentissimis theoriis nonnulla referre in animo habeo. Usque ante recentissimas theorias de particulis elementaribus deque physica quantorum theoriae ad actiones mutuas explanandas semper duplices erant. Una ex parte corpora ipsa cum omnibus characteribus suis velut massa, impulsu, energia tractabantur, altera ex parte theoriae camporum velut campi gravitationis, campi electrici vel magnetici fingeantur, quae actiones mutuas corporum explanarent. Iam antea autem de natura "undulari" materiae audivistis. Haec natura vero iam corpusculis ipsis quendam characterem campi attribuit. Itaque in nova theoria electrodynamica quantorum (QED) ipse campus electromagneticus quantis quasi corporalibus substituitur, id est singulae particulae caricatae emittunt atque absorbent photonia virtualia (quanta luminis virtualia) itaque attractio vel repulsio fit. In hac electrodynamica quantorum ergo nihil aliud fit, quam ut campus actionis mutuae ipse in quanta singula dispertiat. Illa quanta in actione mutua inter caricaciones electricas sunt photonia. Recordemur nunc id, quod antea de particularum productione dixi: par particulae et antiparticulae ex photonio fieri potest secundum relationem Alberti Einstein: $E = m \cdot c^2$. Potest revera ex photonio virtuali etiam par electronii et positronii virtualis fieri. Si quidem electronium photonium virtuale emittit, fieri potest, ut istud photonium in electronium atque positronium virtuale dilabatur. Propter caricacionem autem electronium virtuale illud ab electronio reali repellitur, positronium virtuale attrahitur. Exinde id phaenomenon oritur, quod "polarisatio vacui" vocatur. Nam circum omnes particulas caricatas quasi nubes particularum virtualium versantur et spatium vacuum circum illas particulas quasi "polarisatur". Hic effectus parvam mutationem energiarum atomorum efficit et revera observatur.

Satis ample adhuc phaenomena, quae cum electroniis et pho-

toniis coniuncta sunt, illustravi. Tandem etiam de natura et structura protonii et neutronii, quae nucleum atomicum efficiant, pauca monstrare volo.

In initio relationis meae iam dixi nucleum atomicum ex protoniis atque neutroniis esse compositum. Interrogandum nunc est, quid protonia et neutronia ibi contineat. Caricatio enim electrica protonii est positiva, neutronii autem nulla ita, ut attractio per caricacionem inter protonium et neutronium esse non possit. Debet igitur alia quoque actio mutua inter singulas partes nuclei atomici exstare. Haec actio mutua ad structuram protonii et neutronii spectat. Antea iam de rotatione propria electronii locutus eram. Sin autem aliqua caricatio electrica rotatur, campus magneticus exoritur, qui est similis campo magnetico terrae nostrae. Campus magneticus electronii quidem ex theoria Diraciana notus est, quae theoria electronium secundum theoriam relativitatis describit. Protonium vero eandem rotationem propriam et caricacionem habet atque electronium. Hac de causa protonium eundem campum magneticum habere exspectaremus. Experimenta autem demonstrant campum magneticum protonii fere ter fortiorem esse quam electronii. Hoc significat protonium habere structuram internam. Id mirum in actione mutua inter particulas nuclei atomici est, quod ea actio mutua tantum pro distantibus valde brevibus (ca. 10^{-15} m) exstat. Ex eo vero sequitur, ut haec actio mutua per particulas transmittitur, quae certam massam propriam habeant. Ut recordemur: photonia, quae campum electricum transmittunt, nullam massam propriam habent, ergo campi electrici in infinitum expansi sunt.

Recenter haec structura protonii et neutronii in theoriis et in experimentis melius cognita est. In experimentis nuper factis enim compertum est protonium et neutronium ex trinis aliis particulis constare, quae "quarcia" vocantur. Horum "quarciorum" iam quinque diversa una cum antiparticulis suis inventa sunt. Theoriae adhuc etiam sextum "quarcium" postulant, quod in experimentis nondum inventum est. Illa "quarcia" Anglice vocantur "up" (sursum), "down" (deorsum), "strange" (mirum), "charm" (sympathia), "bottom" (infra), ["top" (supra) - nondum inventum]. Protonium ex duobus "up" et uno "down" compositum est (uud), neutronium ex uno "up" et duobus "down" (udd). Exstant etiam multae

aliae particulae ex aliis quarciiis compositae, quae non sunt valde stabiles. Valde mirum in his quarciiis est, quod non habent carricationem integram sicut electronium et protonium, sed unam vel duas tertias partes carricationis electronii. Adhuc autem solum tales carricationes in experimentis observabantur, quae sunt integri numeri carricationis electronii. Revera experimenta docent quarciiis non licere particulam relinquere, quia vis, quae eas ad centrum particulae retrahit, simul cum distantia crescit.

Quid autem eam vim gignit? Ex experimentis novissimis, ubi protonia quam maximae energiae collidunt, notum est non omnem impulsus protonii in illis quarciiis esse. Nam impulsus protonii est maior quam summa impulsuum quarciorum. Hac de causa in protonio praeter quarcia aliquid aliud esse debet. Illud aliud sunt "gluonia". "Gluonia" sunt illae particulae, quae actionem mutuam inter "quarcia" tradunt. Similiter ut photonia inter particulas carricatas in protonio "gluonia" a quarciiis emittuntur et absorbentur. "Gluonia" autem sunt particulae valde mirae. Exstat enim non solum una species "gluoniorum", sed octo diversae. Illae octo species inter se proprietate differunt, quae "color" vocantur. Ille color est aliquid velut carricatio. Tales "colores" autem sunt tres (id est "rubrum", "caeruleum", "viride") et etiam illorum "anticolores". Quodque quarcium habet suum colorem et "colores" quarciorum in aliqua particula semper ita mixti sunt, ut summa sit "album". Quodque "gluonium" autem unum "colorem" et unum "anticolorem" habet. Si nunc quarcium emittit "gluonium", etiam "color" suus mutatur, quia "color" semper conservatur. Illi "colores" vires tam attractivas efficiunt, ut nulla particula umquam libera esse possit.

Haec theoria de "quarciiis" et "gluoniis" et "coloribus" revera difficillima intellectu et valde versicolor est et physici ipsi nondum omnes effectus bene intellegunt. Natura revera hic nobis intimas rationes et causas omnium rerum demonstrare videtur. Multae autem quaestiones sunt, ad quas respondere physica hodierna nondum valet et fortasse numquam valebit. Nescimus, cur quarcia exstent, quomodo revera "coloribus" explanandi sint, an quarcia et gluonia ipsa ex "coloribus" explanandi sint, an quarcia et gluonia ipsa ex aliquibus aliis particulis composita sint vel ipsa nihil

nisi ideae mathematicae sint. Semper tamen illud Vergilii de Lucretio valebit:

FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS

Robertus Maier

VOCABULARIUM

actio mutua	Wechselwirkung
aequilibrium	Gleichgewicht
antineutronium	Antineutron
antiparticula	Antiteilchen
antiprotonium	Antiproton
atomus f.	Atom
aurum	Gold
campus electricus	elektrisches Feld
campus magneticus	Magnetfeld
carricatio electrica	elektrische Ladung
chorda	Saite
collisio	Stossprozess, Kollision
color	Farbladung
cursus electronii	Elektronenbahn
effectus photoelectricus	Photoeffekt
electrodynamica quantorum	Quantenelektrodynamik
electronium	Elektron
elementum chemicum	chemisches Element
energia	Energie
energia motus	Bewegungsenergie
ferrum	Eisen
frequentia	Frequenz
gluonium	Gluon
helium	Helium
hydrogenium	Wasserstoff
impulsus	Impuls
impulsus rotationis	Drehimpuls
interferentia	Interferenz
involucrum (atomicum)	(Atom)hülle
longitudo undulationis	Wellenlänge
lex conservatoria	Erhaltungssatz
lex energiae conservatae	Energieerhaltungssatz

massa propria	Ruhemasse
neutronium	Neutron
nucleus (atomicus)	Atomkern
oxygenium	Sauerstoff
oscillatio naturalis	Oberschwingung
par particulae et antiparticulae	Teichen-Antiteilchen-Paar
particula elementaris	Elementarteilchen
particula virtualis	virtuelles Teilchen
phasis	Phase
photonium	Photonium
physica quatorum	Quantenphysik
planeta	Planet
positronium	Positron
productio particularum	Teilchenerzeugung
protonium	proton
quantum effectus	Wirkungsquant
quantum luminis	Lichtquant
quarcium	Quark
rotatio propria	Spin
relatio incertitudinis	Unschärferelation
status energeticus	Energiezustand
theoria relativitatis	Relativitätstheorie
undulatio	Wellennatur
vis attractiva	Anziehungskraft
vis centrifuga	Zentrifugalkraft
vis gravitationis	Gravitationskraft
vis repulsiva	Abstossungskraft



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

4 / 89

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 12

FASC. 78